




QVOD NON SIT VERUM

*Viperam Semel tantum parere, sed  
pluries, & inde effœtam  
reddi.*

CAP. X.


**A**N TIGONUS numero 25. nunquam bis parere asseruit; foetus enim uterum peredit; de mirabilibus narrationibus; cum ostensum sit antea, verum non esse, à Viperulis uterum perforari, sed membranam, qua utero involuti nascuntur, ut aliàs dixi, in mulieribus secundam vocant, quandoque in non naturali partu perforant, id quòd Plinius perperam reddidit viscera perforare, quod ex Viperarum quæ pepererunt dissectione, omnino falsum deprehenditur. Pari quoque ratione cum Viperæ ingentem ovorum copiam contineant, feminibus portulacæ, aut papaveris similimis, in duplici illa vulva, ut vix sex vel septem partibus absolvi nequirent, & dissectione ex veteribus jam repertæ sint, quæ ova omnia excluderunt; signum id est, esse jam effœtas, & exuccas; propterea ab re non erit, cum à cibis, tum à trochiscorum compositio-